

Urbis et Orbis

In II Vesperis. Omnia ut in primis, praeter sequ.

Hymnus *Matris sub almae numine...* per extensum (qui -modo habetur ad Laudes).

f. Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt.

%. *Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.*

Ad Magnificat. Ant. *Nomen eorum permanet in aeternum, permanens ad filios eorum, sanctorum virorum gloria.*

Et fit Comm. Feriae in Quadrag.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X suprascriptas variationes ac notas rubricales, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto relatas, approbavit, ac Proprio Sanctorum Breviarii Romani inseri iussit. Die 8 Aprilis 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

URBIS ET ORBIS

Decretum quo festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicæ tertiæ Septembris affixum, ad ritum duplicem secundæ classis elevatur pro universa Ecclesia.

Dolores Virginis Deiparae etsi duplici festo in universa Ecclesia per annum recolantur, videlicet Feria sexta post Dominicam Passionis ac Dominica tertia Septembris ; utrumque tamen festum mobile Beatæ Mariæ Virginis, utpote secundarium, sub ritu duplici tantummodo maiori celebratur. Quo vero eiusdem Virginis Perdolentis cultus augeatur, et fidelium pietas gratique animi sensus magis magisque foveantur erga misericordem humani generis Conredemptricem ; Rmus Pater Prior generalis Ordinis Servorum B. M. V., qui potissimum ipsam Matrem Dolorosam veluti suam Conditricem et præcipuam Patronam venerantur, occasionem nactus qua proxime adfuturo Septembri (mense Virginis Doloribus recolendis sa-

Ex S. Congregatione Rituum

ero) quinquagesimus annus ab inito sacerdotio Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X feliciter completur, supplicibus, votis totius Regularis Familiae eundem Sanctissimum Dominum Nostrum rogavit, ut etiam ad perennem rei memoriam, festum Septem Dolorum B. M. V., Dominicæ tertiæ Septembris amxum, ad ritum duplicem saltem secundæ classis pro-universa Ecclesia elevare dignaretur. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, eiusmodi preces peramanter excipiens, festum Septem Dolorum B. M. V., quod enunciatae Dominicæ assignatum fuit, in posterum sub ritu duplici secundæ classis, ubique recolendum decrevit: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 13 Maii 1908.

S. Card. CRETONI, *Praefectus*.

f D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius*.

OSNABRUGEN.

Circa indulta Officiorum votivorum de SS. Sacramento et de Immaculata Conceptione B. M. V.

Postulato Rmi Dñi Episcopi Osnabrugen., Provicarii Apostolici Missionum Germaniae Septemtrionalis et Administratoris Praefecturae Apostolicae Slevigis Holsatiae: « utrum Officia votiva antiqua de praecepto recitanda singulis feriis quintis non impeditis de SSmo Sacramento, et singulis Sabbatis item non impeditis de Immaculata Conceptione B. M. V., sint revocata per nova Officia votiva ad libitum recitanda et concessa cum decreto generali n. 3581 *Urbis et Orbis* (i) 5 Iulii 1883?»; Sacra Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit: « Negative, nisi expresse renunciatum fuerit antiquis indultis, iuxta ipsum citatum decretum, ubi in fine

(i) Cfr. *Acta S. Sedis*, vol. 16, pag. 47.